Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 337

Quelle:
Copyright:

Ruth, *Regum*, *Job*, *Daniel*, *Tobiae*, *Judith*, *Eſther*, *Machabaeorum* et *Apocalypſeos* illuſtrantes, ita, ut quaevis pagina quadrifariam in longum ſecta columna anguſtiore 1. Expoſitionem, latiore 2. Picturas quatuor, rurſum anguſtiore 3. Expoſitionem, et latiore 4. Picturas quatuor contineat. Duae porro Picturae ſemper ad idem pertinent; prior enim hiſtorica eſt, allegorica altera, omnes pro aevi guſtu fundo aureo nitidiſſimo coloribus ſuperinductis. Atque, ut res in exemplo magis pateat, *Pag.* 1. Pictura prima Deum ſiſtit ſiniſtra Globum terraqueum adpendentem, uno ejus Hemiſphaerio candido, altero atro. Addita Expoſitio: *Hic diuidit dominus diem a nocte. i. lucem a tenebris.* Pictura altera illi ſubjecta repraeſentat hinc Eccleſiam Angelo familiariter utentem, illinc Impios ſe ſuaviantes, quos malus Daemon complectitur. Ait Expoſitio: *Claritas diei ſignificat claritatem angelorum et ſancte eccleſie. Nox ſignificat tenebras mundi. cupiditatem. luxuriam. inuidiam. ſuperbiam et alia peccata.* Atque ita de ceteris paginis, quas omnes margo auro coloribusque illuſtris in quadrum oblongum cingit. In ora ſupera paginarum adſcriptus eſt Liber Biblicus, initia et fines ſingulorum in margine extero. Singulare illud habet *Job*, quod ultima ejus *pag.* quae eſt 162. non tantum pictus exhibeatur *Gregorius M.* columba ſcribentis humero inſiſtente, ſed facti hujus narratio una cum exhortatione ejusdem Patris utramque Expoſitionis columnam impleat, et loco 6. poſteriorum picturarum charactere aureo quadrato *Jobo* texatur elogium, quod incipit: *Ecce Finis Iſtius Libri Job, Qui Nobis Omnibus Eſt Exemplar Pacientie* &c. *Gregorium* ob ſua *Moralia in Job* huc adlitum reor. Expoſitio raro tam verboſa eſt, ut quadrum infra egrediatur, ſi *Apocalypſin* demas, in qua frequenter id accidit. Finit illa: *et ſibi bonum non attribuunt ſed gratie ſaluatoris.* Aderat eodem loco marginis externi Inſcriptio quaedam lineis caerulis et rubris pulcre alternantibus, ſed illam, neſcio quis, homuncio deraſit, unde neque Expoſitionis Compilatorem, nec Ἐγοδωκτην ſumtuoſi et regii hujus Operis edicere integrum eſt, in quo ſi figurarum inconcinnitas riſum quandoque moveat, facile ignoſcet Spectator, qui ſuis quaeque temporibus penſitat. Cf. Cod. ſeq.

CCXXVI.

Codex membraneus gall. Sec. XIV. Folior. geminorum 66. f. maj. ſingularis et ſplendidiſſimi operis, quem pictum potius, quam ſcriptum dicas; Textus enim non niſi anguſtum cujusvis paginae utrinque latus occupat, cetera Picturis tenentur, et ita quidem, ut ſemper binorum foliorum paginae, qua connivent, depictae ſint, qua divergunt, purae relictae. *Biblia hiſtoricoallegorica iconologica* compellare placet Librum nullam ceterum ἐπιγραφην praeferentem, C. 1001